Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36647
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

invicem conferamus. **Collatio supradictorum.**

Theorica dividitur in theologiam, mathematicam, physicam. Vel aliter: Theorica dividitur in intellectibilem, intelligibilem, naturalem. Vel aliter: Theorica dividitur in divinalem, doctrinalem, et physiologiam. Eadem igitur est theologia, intellectibilis, et divinalis; eadem mathematica, intelligibilis, et doctrinalis; eadem physica, physiologia, et naturalis. Sunt qui has tres partes theoricae mystice quodam Palladis nomine quae dea sapientiae fingitur esse significari putant. Dicitur enim tritona, quasi tritona, id est tertia cognitio, videlicet Dei, quam intellectibilem nominavimus, et animae, quam intelligibilem diximus, et corporum, quam naturalem appellavimus. Et merito ab his tribus tantum sapientia vocabulum sumit, quia licet et reliquas, videlicet ethicam, mechanicam, logicam, congrue ad sapientiam referre possimus, expressius tamen logicam propter vocis eloquentiam, mechanicam et ethicam propter circumspectionem morum et operum prudentiam sive scientiam appellamus, solam autem theoricam propter speculationem veritatis rerum sapientiam nominamus.

Practica dividitur in solitariam, privatam, et publicam. Vel aliter: in ethicam, economicam, et politicam. Vel aliter: in moralem, et dispensativam, et civilem. Una est solitaria, et ethica, et moralis; una rursum privata, economica, et dispensativa; eademque publica, politica atque civilis. Economus interpretatur dispensator, inde economica dicta est, id est dispensativa. Polis graece, latine civitas dicitur, inde politica, id est civilis est dicta. Quando ethicam partem constituimus practicae, stricte accipienda est ethica in moribus uniuscuiusque personae, et est eadem quae solitaria. Solitaria est quae sui curam gerens cunctis sese exornat, erigit ac gerit virtutibus, nichil in vita admittens quo non gaudeat, nichil faciens penitendum. Privata est quae familiaris rei officium mediocri componens dispositione distribuit. Publica est quae rei publicae curam suscipiens cunctorum saluti suae prudentiae sollertia, iustitiae libra, fortitudinis stabilitate, et temperantiae patientia medetur. Solitaria igitur convenit singulis, privata